filium consolatus in celo est. quos paradysi loquela ostendi. scilicet oratio. gratiarum actio et vox laudis. ¶ Item morum similitudo in paradyso est obediencia ad dominum. sic inter istos concordia. Iob. xxv. Qui facit concordiam in sublimibus est. ¶ Io ostendit eos amoris magnitudo. scilicet quod aliqui gloriam sanctorum suam reputant. i. cor. xii. Si gloriatur unum membrum congaudent omnia membra. ¶ Sequitur. Superedificati super fundamentum apostolorum. ¶ Ipsi domini fundamenta sunt triplici causa. ¶ Primo propter stabilitatem. prover. x. Quasi tempestas transiens erit impius. iustus autem quasi fundamentum sempiternum ¶ Secundo propter humilitatem. fundamentum latet maioris est utilitatis quam appareat. i. cor. Ignobilia mundi et contemptibilia elegit deus. ¶ Tercio quia primi fuerunt tempore gratie. ¶ Illi quia edificium ecclesie sustentatur doctrina et exemplo eorum et suffragiis. Apoc. xxi. Murus civitatis habet fundamenta xii. et in ipsis xii. nomina apostolorum. Specialius fundamenta fuerunt qui gentibus fidei fundamentum predicaverunt. Sic paulus et barnabas de quo hodie sollempnizamus cui competit illud ysa. xlix. Dedi te in lucem gentium. ¶ Et nota quod fundamenta ecclesie xii. lapidibus preciosis ornata sunt. Apoc. xxi. fundamenta muri civitatis omni lapide precioso ornata. Et enumerantur ibi xii. lapides. scilicet iaspis Saphirus. Calcedonius. Smaragdus. Sardonix. Sardius. Crisolitus. Berillus. Topazius. Crisopassus. Iacinctus. et ametistus. ¶ Iaspis qui viret signat fidem. vivorum nascentibus attestatur vite. Ro. i. Iustus autem ex fide vivit. ¶ Saphirus quasi celo sereno similis est celestium bonorum spem significat. ¶ Calcedonius qui quasi pallens ignis lucerne lucet. signat caritatem quod dicitur pallens restat ad hoc quod caritas per humilitatem vult latere. Ordo horum

tum per sermonem ordinem tum virtutum. quem in illis signamus. ¶ Smaragdus qui est valde viridis viriditatem bone operationis exprimit et inchoationem. quia qui fide spe et caritate pollet consequens est ut fructu boni operis perfecte laboret. ¶ Sardonix qui interius nigrescit humilitatem significat. quia congruum est ut qui bona opera agit non inde superbiat. sed humiliari contemptu contendat. ¶ Sardius qui rubet passionem significat. quia qui humiliter bona operatur. necesse est ut multa adversa patiatur. ¶ Crisolitus qui scintillas ardentes emittit. miraculorum operatorem designat. quia qui pro Christo mala patitur. virtute miraculorum non numquam clarificatur. ¶ Berillus qui manu tenentis urit in presenti ex bono exemplo iusticie ascensionem designat. quia talis ac tantus homo non solum sibi proficit. sed alios multociens ad iusticiam accendit. ¶ Thopazius aurei et etheri coloris omnibus gemmis preciosior designat contemplationem. quia qui superdictis bonis decoratur ad celestia bona contemplanda sublimatur. ¶ Crisopassus viridis. designat desiderium numquam marcescentis eternitatis. quia iustus per eterna gaudia per contemplationem conspicit. ad hec possidenda totis viribus marcescit. ¶ Iacinctus qui cum aere mutatur. cum sereno serenus. cum nubilo nubilus. signat virtutem bene condescensionis. quia nimium mitem et compassionis visceribus habundat. quisquis contemplatione eternitatis desideriis flagrat. ¶ Ametistus qui est purpureus signat dignitatem regni celestis. qui superdictis bonis excellit. potens semetipsum et alios regere novit et ad superne civitatis bravium pervenire notis omnibus concupiscit.

In festo sanctorum Gervasii et Prothasii martyrum

Eritis odio omnibus hominibus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_342/0425
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG